



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1732. usque ad annum 1734

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 90119339

§. 23. Duo Præsules Romana Purpura a Clemente XII. decorati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67683](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67683)

hisce obstaculis adeo longe superior erat, ut benedicente Domino Lusitani non paucos ex densissimis idololatriæ tenebris ad veram fidei lucem pertraherent, & agrestria eorum ingenia præcipue lenitatis Christianæ præceptis ad cultiores mores mansuefacerent.

Sæc. XVIII.
A. C. 1732.

§. XXIII.

Duo Præfules Romana Purpura decorati.

Sub idem ferme tempus Franciscus Antonius Cardinalis Finius, qui cum aliis de Romana Republica sub Benedicto XIII. Papa male administrata insimulabatur, centum quinquaginta aureorum millibus ærario redditis, præter omnium expectationem omnibus suis dignitatus, proventibus, & bonis ex integro restitutus est: quocirca die octava Octobris ad perbenignum Pontificis alloquium admissus, sequenti die ab omnibus Purpuratis honorifica salutatione decoratus est. Interfuit jam antea die prima Octobris habito secreto, ut vocant *Consistorio*, in quo Clemens Papa, postquam gravi infirmitate defunctus erat, duos Prælatos generis nobilitate, & meritorum præstantia claros Cardinalium Collegio adscripsit. Horum primus erat Tro-

Hist. Eccles. Tom. LXXIV. K janus

Sæc. XVIII. Janus de Aquaviva de Aragonia, Neapolitanus, Archiepiscopus Larinensis, Sacri Palatii Apostolici Præfectus, Cardinalis Presbyter tit. S. Cæcilie. Aliter vocabatur Agapitus Mosca, patria fauriensis, Cameræ Apostolicæ Clericus, Diaconus Cardinalis tit. S. Georgii in Velum aureum. Horum prior, cum ad Hispani Regis preces Purpuratum tenuisset, hujusque Regni negotii procurandi spem haberet, Hispana insignia ante Palatii sui fores appendit, quo facto Cardinalis Cienfuegos Cesaris Orator petebat, ut ipse, utpote patria Neapolitanus pariter Imperatoris insignia affigeret, quod tam Aquaviva recusabat, progressu autem temporis adimplevit.

§. XXIV.

Prosper Marefoschius Cardinalis mortuus.

Tres ex Purpuratis hoc anno accessit mors Sacro Collegio eripuit, quibus primus erat Prosper Marefoschius ex nobilissimo Macerateni genere ortus. Patrem habuit Cæciliolum, & Matrem Sperantiam Guarini Nobilem Auximanam, quæ dignum Paternarum virtutum hæredum Prosperum genuit die vigesima mensis Septembris.